

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Arborem scientiae boni et mali, protoplastis interdictam
ex Gen. II,17**

**Mayer, Johann Friedrich
Ziegra, Georg David**

Vitembergae, 1718

§. 18.

[urn:nbn:de:bsz:31-130464](#)

temque Bonfrerius, qui, citata prius Theodoreti sententia, ita l.c. concludit: Sed hac ratio exigui momenti est: quid enim si arbor illa exigua folia habebat, & minime ad contegendum apta, annon aliunde petendum fuit? quid si fructus illi arbori vicina erat? quid si Adamus non ad arborem ipsam pomum comedit, sed alibi accepto ab Eva pomo, ut Scriptura verba sonant? quid si non statim erubuerunt, sed post aliquod tempus tantum, experti rebellionem carnis? Hæc igitur & alia seqvelam, si non enervant, saltem insigniter labefactant.

§. 18. Alii arborem istam *Malum* fuisse contendunt propter effatum Salomonis Cantic. VIII. 5. **חַחַת הַחֲפֹוח וּרְותִין** שמה חבלת אפר שטה חבלת וילוחן: **Sub arbore malo suscitavi te:** ibi enixa est mater tua, ibi peperit genetrix tua. Qvam sententiam ipse amplectitur Augustinus, ita de Genes. ad lit. L. XI. c. 31. p. 271. ajens: **Tale quippe pomum, credendum est fuisse in illa arbore, cuius generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserat:** quo cum sentire videtur. B. Lutherus L. c. f. 27. b. quando scribit: *Rationi valde videtur ridiculum, quomodo unum pomum sic potuerit esse noxiū, ut totum genus humanum per infinitam quasi successionem perdidere, idque aeterna morte.* Sed pomi hoc non fuit virtus: Adam quidem in pomum figit dentes, revera tamen figit dentes in aculeum, qui erat prohibitio Dei, & inobedientia erga Deum &c. Conf. fol. 46. a. b. f. 47. 4. f. 84. b. &c. Quidam Vitam fuisse malunt, qvia Salvator noster ex Vitis fructu Sacrosanctam instituit Eucharistiam, Matb. 26. 27. 29. Sed mera hæc sunt conjecturæ: Moses enim vocat arborem, non vitam, nec firmum ex Cantico Salomonis, qvam cuncta in eo fere sint parabolica, peti potest argumentum. Dicimus potius cum R. Abarbenele *Comm. in Legem* f. 26. **עַזְרוּת לֹא גָלֵה הַכֶּבֶת אָתוֹן לֹא תְּרוּ זֶה אָמֵת:** *Arborem scientie non revelavit Deus ulli homini, neque etiam unquam revelabit; id quod est verissimum: & B. Augustino Lib. VIII. de Gen. ad terram cap. 5. Melius est dubitare de occultis, qvam iugare de incertis.* Tacent enim Scriptura, quis loquetur?

§. 19.